

Petrus de Vinea

*Ep. II 59 (Corda uestra
uelut Imperii fidelium...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 59 (Corda uestra
uelut Imperii fidelium...)*

luglio 1247

Fridericus de Antiochia mandat congregari exercitum contra Parmenses ad mandatum H. regis Sardiniae.

1. Corda uestra uelut Imperii fidelium deuotorum de prosperis nouis contingentibus recreari uolentes de sinistro casu ciuitatis Parmensium, qui nuper accidit, eorum malitia insurgente, ut una uobiscum proinde recreati ad exaltationem serenissimi patris nostri et ad Parmensium ipsorum malitiam refrenandam, qui, uiam rectam uerae fidelitatis obliti, in sinistram partem eorum prauos animos conuerterunt, assumptis uiribus nostris et aliorum Imperii fidelium iurisdictionis uestrae, in manu forti uiriliter procedere intendamus, uestra notescat sincera deuotio et commendanda fidelitas, nos a magnifico uiro, domino H., illustri rege Sardiniae, recepissem litteras in hac forma: 2. Nobili uiro Friderico de Antiochia, et cetera, Henricus Dei et imperiali gratia rex Turrium et Galluri, et cetera. Volentes igitur predicta omnia cum celeritate, qua conuenit, exequi, prout decet uos, pro parte serenissimi patris nostri instanter requirimus, et ex nostra rogamus attentius, et hortamur, quatenus statim, receptis presentibus more solito, fideliter ac deuote circa imperialia obsequia animorum uestrorum curam uigilem adhibentes, armis et equis apparatus laudabilem faciatis, quemadmodum magnum et tam grande negotium exposcit ad presens, ita quod ad aliam requisitionem nostram tam feliciter quam laudabiliter una nobiscum, sicut opus fuerit, pro predictis, ut conuenit, ueniatis.